



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



Q. D. B. V.  
**HYPOMNEMATUM**

*Ad praelari Grotiani Operis  
DE JURE BELLI AC PACIS PRIMORDIA*

*Specimen tumultuarium  
Quod adjuvante Supremo Morum Disciplinæ Doctore,  
ex Sapientissimi Ordinis authoritate  
Occasione cessantis Moralis Philosophiæ Cathedrae*

D. 28. Octobr. A. MDCCXXVII.

*Horis locoque isto tempore consuetis*

*Rev. Et Cl. Viris Competitoribus suis  
examinandum proponebat*

**ANTONIUS BIRRIUS ,  
A.M.**

Respondente ad argumenta

*Le dignissimo Juvene*

**LUD. FREDERICO PETIT-PIERRE**  
Neocomensi.



---

BASILEÆ, Typis J. L. BRANDMYLLERI,

## Lecturo S.

**N**unq iam omnino eorum institutum probavi, qui præclarissima quæque priscorum ingeniorum monumenta in eum finem dunt taxat legunt, ut legisse videantur, quique in eo summa industria sua ponunt, us commode explicare hæc eadem atque illustrare possint: Et valde semper eorum mibi ratio displicuit, quibus in historiarum omnis ævi studio, præter rerum gestarum memoriam nihil magnopere cordi est. Cummodi studium ab innani ac sterili opera non multum abesse existimo. Semper enim nobis obversari ante oculos is finis debet, cuius causa nati sunus. Hoc est, ut aeterni Dei gloria, ut communis unitatis commodis serviamus, ut patriæ, ut iis, quibus cum vivimus, et si fieri possit, etiam qui post nos futuri sunt, quantum in nobis est, salutarem atque uilem operam navemus. Quare cum à pueritia veterum auditorum studio flagrarem, frustra tamen & inaniter judicabam me in horum frequenti lectione operam ponere, nisi ex iisdem virtutum exempla, monita prudentium, ac publice privatimque salutaria præcepta, quidque fædum incepit, fædum exitu vicandum sit, non tam calamo adnotarem, quam animo exasperem. Id vero quemadmodum rede efficerem non inveniebam sane, nisi ad honestatē ac justitiā normam singula facta, dictaque hominum exigere nossem. Quare necessario mibi etiam Juris Naturalis scientia atque universa morum disciplina ratio cum studio meo conjungenda fuit. Quamvis autem etiam antiquiores multa præclare in eogenere tradidisse noveram, tamen quum non ignorarem, quantum juniores huic adsecissent disciplina, ardebat animus borum præcipue placita cognosere. Cumque ex magna copia, quæ seculi nostri felicitas est, probatores deligere liceat, ecquos eligerem, queū Grotius & Puffendorfii postponerem? Quorum hic uberrimum hunc Phisophia locum ita traçavīs, ut exhausisse videatur, ille disciplinæ huic firma demum ac solida fundamenta posuit, quum ante id tempus omnino jaceret. Quod si de ambobus judicium meum interponere cupiam, vereor ne quibidam ab arrogantia propius abesse, quam revera absūm, videar. Tantum dicam, verissimum videri, quod de utroque auctore judicium fecit is Vir, quo nemo melius facere poterat: Quod si atatem inter se commutare potuissent, ita ut posterior Grotius, prior Puffendorfius existeret, dubitandi causam non esse, quin ille præclarius hujus inventis uti posset, quam hic illius usus est, quem præcipue in sequentis ætatis magnus

magnus summorum ingeniorum proventus adjuverit. Neque vero diffimulavit Puffendorfius, Grotium Clarissimam sibi faciem prætulisse, quemadmodum nec hic per quos antiquos, junioresve autores profeceris, eximii candoris vir, reticendum sibi putavit. Qui nisi extitisset, vereor, ut seculo nostro, Seldenos, Puffendorffios, Thomassos, clarissimosque alios viros, per quos hac disciplina maxime increvit ac perfecta est, commemorare licet. Erat enim in hoc Viro ingenium summum, acre judicium, eruditio singularis & in omnia literarum genera diffusa, facundia insignis, ac dicendi genus, (id quod in ceteris, qui hanc disciplinam attigerunt præcipue desideres) præterquam ubi brevitate nimia attentio rem lectorem postular, plane luculentum. Itaque quum non pauca recentiores viri melius atque accuratius tradiderint, nemo tamen unus exitit, qui in eodem genere ipsius laudes obscuraverit. Atque hac causa est, quare Grotiani Operis lectione vehementius caperer, quum nec aliorum laudibus quicquam derogarem. Accidit autem mihi saepe eximum opus, & qua Docti aliquot viri ad illustrandum id commentati sunt lectori, ut de multis rebus cogitarem, qua vel ad declarandam, vel ad confirmandam, vel ad refellendam denique nonnullis locis auctioris sententiam pertinere videbantur, sed omnia ea adnotare neglexi. Ut solent scilicet qui nihil suum magni faciunt, & sibi disiendi fructum reservant, lubenter aliis emendandi gloriam relinquunt. Præcipue quum Vir magne hoc opus maximam partem ex veterum auctiorum sententiis, incredibili studio collectus. & plerumque summo iudicio dispositus confasset: Id quod humiorum literarum studio pulserrimi elegit loco esse puto: quum in his literis atatem, ne mihi ista prædicatio invidiae sit, contriverim, repetiebam uno atque altero loco fontes, unde sua Grotius hauserat, quos indicari lectorum interesse putabam, quando ii Cl. Interpretum diligentiam fugissent, neque parum ea res ad sententiam ipsam illustrandam mihi pertinere videretur. Porro in iis locis & exemplis, qua in notis suis fere Grotius accumularit, alias non nulla alieno loco posita videbam, quæ amandanda viderentur, alias quoque aptiora ac singulis questionibus accommodatoria adjici posse putabam. Verum hanc operam hanc agere sane Viris illis Doctissimis, qui in illustrando tam luculento auctore, tanquam in provincia sua versarentur, relinquebam; neque unquam fore existimabam, ut ejusmodi mihi scribendi occasio nasceretur. At quum cesante hac in Academia patria cathedra, necessario mibi specimen aliquod

moralis disciplina edendam esset, principio mihi peropportunum videbatur, si Grotiani operis tantisper explanatorem agerem, ut simul & in materia scriptioris delectu molestiam defugerem, & omnem aliena spei inibantis cupiditatis opinionem à petitione mea submoverem. Quod si enim his partibus rite defungenter, newinclus exquisimabam aquum & caudidum estimatorem fore, qui me ceteris, quae sunt generis eiusdem explicandis scriptis & commentis minime idoneum judicaret. Quod non eo dico, quia tenuia ejusmodi ac subitaria, qua parvam, Schediam cum Dodili, virosum eruditis commentarius Grotianis comparare cogitaverim. Quippe qui id egerunt ut otiose, accurateque scriberent, & in cognatis huic disciplina Iuris Civilis ac Publici studiis exercitatisimi fuerunt, que mihi quidem vix summis, ut ajuns, labris attingere licuit. Quod si tamen candido atque inelegro iudicio conatus ihos cum non nullorum ex eo numero laboribus conculeris, vereor equidem, ut nostram quoque opellam nimium vituperes. Sed ne quid dissimilem, cum novissime deum in Cel. Viri, qui hoc opus Gallice converxit luculentas, Animadversiones incidisset, pene idem mihi accidit, ac de Platone refert Aelianus, cum Tragedias quas adolescentis scripsisset, cum Homeris poematisbus contendenseret, ut foco nimirum luculentio rejectiones Schedas emendandas tradiceret. Adeo nihil pene Vir excusius, quod ad explanandum Iuris Belli ac Pacis corpus istuc pertineret, reliquum fecit. Non minus ille Grotio & Puffendorfio pridem de toto hoc doctrina genere preclare meritus. Verum tamen proprieas, quas supra dixi, rationes, & quia jam telam hanc texere caperam, pigebatque aliam edendo specimini materiali querere, & quasi jacta iam alea esset, rursus operi me accinxeram, jamque in eo eram, ut pauculas pagellas implerem, & paulo diligentius singula exquirerem, cum nupera lege ac sortitione intrahas XX. dierum augsburgias compulsione prorsus quid consilii caperem non reperiebam. Vereor enim, ut protrudendo impolito ejusmodi & vix inchoato schediamate satè vel loci & materia dignitati, vel existimationi mea consuluerim. Adeo enim omnia raptim erant agenda, ut neque ordinem servare, quem res exigebat, neque delectum abbibere in ipsis rebus, nedum expolire & elaborare quicquam mihi licuerit. Quæ quam mihi omnia acerba acciderint, nihil attinet dicere. Supercedere, inquit, poteras. Non quimus equidem valde repugnabat. Sed quid facias, ubi homines importuna lingua effugere non datur: Qui si pro tua ratione honestas spes sequi videant, cupidum hominem, & tan-

sum non improbum appellant; Sin quiescas, & tuum negotium agas, ibi vero inertia & vecordia te dominant? Itaque cum paria utrumque malorum iudicia expectanda sint, satius visum est, honestum locum collocandæ facultatis divinitus accepta rite ambiendo defossi talenti crimen effugere. Quod Græcorum auctorum loca alias Latine tantum adscriptum, alias, ut res ferebat, haud convertimus, id partim, ut in magna festinatione typorbetæ operam compendii faceremus, partim quia, cum Viri eruditissimi ista proponantur, superfluum erat Gracis ubique Latina subjicere, commodissimum ita visum est. Nunc ad Grotium me confero.

I.

**I**Gitur in PROLEGOMENIS. 1. Attingit statim Grotius triplicem Juris Belli & Pacis, quod idem Juris Naturæ & Gentium præcepta complectitur, ratione originis, differentiam: Aliud enim vult ab ipsa natura profectum, aliud legibus divinis constitutum, aliud moribus, sive pacto tacito gentium inter se introducendum videri. Quod posterius aut omnino nullum esse, neque vim obligandi, quæ in omni lege requiritur, habere, aut ab Naturali Jure diversum non esse jam pridem ab Viris Doctis, qui post Grotium hanc disciplinam excoluerunt, animadversum est. Quorum rationibus nonnulla infra ad §. XVII. aptiore loco adjiciam.

2. Quas leges divinas intelligi velit, plenius l. I. c. 1. §. XV. expoluit: Ubi mihi istuc observare liceat, fecisse quidem Vitos quosdam Clastissimos pro pietatis suæ opinione videri, quum numerum earum legum, quas Deum jam antiquissimis temporibus universo generi humano expressis verbis sanxisse putant, alii aliter, variis conjecturis ducti auxerunt: Cæterum omnia ejus generis commenta parum firmo, quod ajunt, tali niti, neque jam nostrum esse ejusmodi divinas leges fingere, quarum lationis nulla in ipsis sacris monumentis mentio extat. Quin ipsa illa paucula Noachidis præcepta, Genef. 9. quandiu inter homines valuerint parum nobis constat. Illud quidem satis appetet, quod præcipuum est in his præceptis, de non edendis cum sanguine carnibus, haud ita diu inter mortales vim legis obtinuisse, ut cuius rei vestigia in moribus gentium desideramus, nisi quis falso Ægyptiorum superstitiones hoc trahat. Quinadeò, præter dictata rationis, alia leges exteris gentibus semper incognita fuere, nisi

quas ipsæ civitates , vel more incerto , vel eadem ratione duce , sanxerunt. Quare frustra jus aliquod divinum voluntarium ac positum , quod universis gentibus ante Christi adventum significatum fuerit , apud has querimus. Solis enim Evangelii ministris imperatum fuit πορευθῆνται εἰς τὸν ἄστον ἀπαντά , καὶ μαρτυρεῖσθαι πάντα τὰ ζῷα . Marc. 16. v. 15. Matth. 28. v. 19. Cujus sententia , ne levius auctor ipse putet , auctorem habeo gravem & locupletem Paulum Apostolum , qui clarissimis verbis docet , Act. 14. v. 16. Deum /u- perioribus temporibus omnes gentes /sui moribus suis uti , & siquidem se mortalibus non dūcētus reliquerit , ea testimonia bonitatis ejus potissimum in communibus beneficiis , quies omnes homines promiscue bearet , querenda esse ; quæ scilicet ipsos ad cognitionem Numinis perducere potuissent ac debuissent. Et rursus 17. v. 30. eadem quibus sine lege fuissent gentes universæ tempora ignorantia appellat , quæ usque ad denuntiationem Evangelii ὑπέγιεται , i.e. quasi remisso & clementer pertulerit Deus. Quæ tempora sane multo antequam lex Hebreis data est , ex iisdem verbis haud obscure colligas , quod & aliunde constat , cœpisse. Itaque & gentes , si quæ legitima facerent , naturali lumine docente facere , ac sibi metu ipisis legi vice esse , cum vivam scilicet rationis legem in animis habarent , haud minus diserte docuit Rom. 2. v. 14. Nihil igitur causa esse puto , quamobrem Legis naturalis fundamenta , quatenus quidem illa exteris nationibus innotuit , in ejusmodi vetustis & obsoletis traditionibus quererent Viri Doctri. Quæ de re plura ad §. XI. XII. dicemus.

3. §. IV. Ab Christianis maximam partem scriptoribus non equidem Grotius intelligi volebat διαρρήσης omnia bella damnari , quippe qui contrarium infra l. I. c. II. §. IX. & X. demonstrat. Sed haud difficulter tamen ejusmodi sententiam ex quorundam verbis eruas , quibus vix ullum inter bella , etiam iusta , ac pro defensione patriæ suscepit , & manifesta latrocinia discrimin agnoscere videntur. Cujusmodi est illud Lactantii Inst. l. 6. c. 6. §. 20. *Justitia diffidium generis humani ferre non potest , & ubi cunque arma fulserint , binc eam fugari & exterminari necesse est.* Sed expressit subinde viris alioqui piis & veritatis studiosis ejusmodi voces nimium etiam in seriis maxime atque gravissimis rebus declamandi studium , ut paulum ultra oratione , quam optimæ causa patrocinium postulabat , proveharentur. Cujus-

Cujusmodi in primis in scriptis Afrorum quam plurimos flosculos deprehendas. Nam Lactantium bella omnino omnia minime damnasse apparet ex Libello de Mortibus Perfec, quem ipsius esse nullus dubito.

4. §. VI. Doctrinam de humanæ naturæ præstantia merito quidem inter prima principia & quasi elementa moralis doctrinæ ponimus. Ex hac enim pleraque officia nostra recte deducimus. De qua cum inter juniores haud satis conveniat, multo minus inter veteres olim convenit. Sed singulorum sententias excutere longum esset, & hoc loco quidem supervacuum. Præcipue mihi digna videntur, quæ legantur ab omnibus, quæ Nemesius C. 1, de Nat. hom. disputat, ubi aliorum quoque Vett. placita Doctissimus interpres adscripsit, qui hominem putant inter *læsonā* atque *ögərā* quasi vinculum quoddam interiectum, quod utramque naturam copularet: *curvator a corporis genitrix*: ita ut idem & immortalis animo naturæ compos esset & corpore bestiarum particeps imbecillitatis, quæ alioqui non nimium ab naturæ ejus præstantia abessent. Ab qua sententia quum nec seculi nostri acutissimus Philosophus abhorre videatur, ita ut proprius bestias ad humanam naturam accedere putet, tamen facultas rationis tales atque tantam inter muta animantia & homines differentiam palam constituit, ut magnopere mirandum sit, extitisse quondam sapientiæ professores, qui vel migrare animos hominum in corpora bestiarum crederent, vel homines cum bestiis ita componi posse statuerent, ut in harum caris motibus legem naturæ, certamque normam actionum humanarum inesse putarent. Ex hac enim naturæ nostræ, quam rationis usu obtainemus, præstantia promptissimum est intelligere, longe alius generis officia esse, quæ à nobis naturæ auctor exigit, atque ea, quæ ad brutorum animantium vitam ac mores conformarentur.

5. Ceterum, in primis sciendum est, ut de moribus atque actionibus hominum accurate instituatur tractatio, ante omnia necessario totius hominis naturam, corporis nempe atque animi universas facultates & proprietates, quoad licebit, cognoscendas esse nobis; Sine qua cognitione nostri Moralis Philosophia trunca ac debilis est. Neque enim, qui hæc ignorat, accurate discernere poterit ex quibus principiis singulæ actiones orientur, quæ subiectam materiam hujus Philosophiæ constituant. Quare etiam multum eos falli putem, qui &

& Medicinæ nostræ ad hanc cognitionem subsidia spernerent. Namque profecto & Galeni nostri sententia verissima est, *Mores animi naturam corporis sequi*, nec raro à ipso nō, quæ propriam præceptorum Juris Nat. materiam efficiunt, Medicinæ professores in causis dubiis & obscuris alioqui,

*Plenius & melius Chrysippo & Crantore dicant.*

ubi certa nonnunquam facta immerito animi destinato consilio, alias naturæ viribus, vel etiam diabolo falso imputant homines, non de alienis modo, verum etiam de suis actionibus sinistre judicantes.

6. Appetitum pacata ac tranquillæ societas, qui hominibus proprius est, si societatis ipsius, cuiusmodi sit, rationem spectemus, merito quidem veteres ac juniores Philosophi inter lā περὶ τὰ φύσεις reserunt, ac nemo crebrius quidem, nemo pulchrius Cicerone nostro adstruxit, ut l. 1. de offic. C. 4. & C. 44. extr. l. 2. c. 21. l. 3. C. 5. Nullum quippe animal societati ita aptum ac natum est. Quamvis enim etiam in mutis animalibus nonnulla genera sint; quæ, quod gregatim vagantur, Græci συνηγόλασικα appellavunt, in quibus humani gregis, quem civitatem appellamus, expressam imaginem quodammodo cernimus, tamen nullum aliud animal necessarii bonis ad vitam civilem instructum est. Unde & plerisque natura solivaga. Itaque Timona suum, quum hominem exuit, festive ita loquentem inducit Lucianus; μονήγας ἡ θάσια καθάπερ τοῖς λύκοις, καὶ φίλος οἵ τιμωροί. Et apud Q. Curtium Alexander fæda Cliti cæde conturbatus, quum attonitos amicos & fugientes sermonem suum cerneret, conqueritur sibi vivendum esse in solitudine, velut fera bestia, terreni alias, alias simenti. Sed si ex me quæras, quæ causa sit, quæ homines non ad civitates quidem protinus condendas, sed ad coëundam simpliciter societatem cum hominibus impellere potuerit? Faciamus enim tantisper aliquando solivagos fuisse, quamvis nobis constet cum ipsis incunabulis generis humani societatem cœpisse, id quod Veteres qui hæc quærebant, ignorabant. Non equidem cœcum instinctum esse dixerim, qualem in bestiis deprehendimus; neque, ut multis placet, indigentiam & inopiam auxilii duntaxat ac necessitatem, quum naturæ pauca sufficiant; multo minus metum, qui non contrahere animalia, sed dissipare consuevit, neque, qualemcunque hunc intelligent, hominis præcipue practicantis competit. Sed quid Gargettio illi Doctori opponam,

opponam , qui nobis conciliatricem animorum ~~lūn nōdān~~ suggestit, non quero jam sit ne illa in motu , ariu quiete , dum sui generis minime ineptam & fatuam quandam , sed cum ratione coniunctam intelligat voluptatem , ut verum fatear , non invenio . Quid enim vero tandem in societate querimus , nisi vitam beatam ? Quid vero interest , quo nomine appelles , communem hanc ~~lūn φιλετήν & τῆς φιλαράγωγος~~ , quas cum religione erga Deum tria summa principia Juris Nat . Vir hujus disciplinæ studiosissimus statuit , matrem ? Quoniam enim homo in solitudine præstantissimis facultatibus suis uti non potest , necessario sibi socium queret , quocum naturæ suæ bona communicare possit , etiamsi nullius rei indigens velut in paradiſo fuerit collocatus .

7. Sed cum haec causa sit consociationis , non ex ea tamen protinus pendet Jus Naturale , sed ex voluntate ejus , qui auctor & largitor ejusmodi bonorum fuit , quibus natura hominis præcellit . Quia sit ut ad vitam socialem genitis liberum non sit , utrum eidem se aggregate ejusque commoda propagare velint , an repugnare ejus commoda eamque deferere . Ita ut si hoc eligant , non stultizet solum damnentur , ut qui ipsimet suo bono , suæque voluptati repugnant , verum etiam contumaciæ adversus auctorem suum , eundemque societatis auctorem Deum . Quæ consideratio si non movit homines omnibus temporibus , ut societatem colerent , mouere tamen debuisset , quod intelligere poterant ad societatem se natos . Nescio enim , an ulli homini nato , & sano quidem sensu prædicto , nunquam acciderit , ut de fine cogitaret , cui ab auctore suo destinatus est . Atqui ex facultatum suarum consideratione abesse non potest , quin sentiat homo ad vitam socialem se esse procreatum . Ergo ex hac cognitione necesse est idem etiam sentiat ad ejusmodi vitam esse se ex certa voluntate ~~lūn φιλετος~~ adstrictum , qui homines sui similes esse voluit , ad diligendum ac beneficiendum promptos , quibus etiam bonitatem suam ad imitandum in Evang. proponit , tanquam fundamentum omnis justitiae . Matth. V. v. 45. Igitur quum etiam in societate summa vita suavitas polita sit , summaque voluptas , quam & per se optabilem esse supra Epicuro largiebamus , dum ea modo innocens , naturæque hominis rationalis congrua haberi possit , sapientiam atque bonitatem Creatoris venerari debemus , quod nos & sociali natura nasci voluit , & in hominum societate collocavit . Gen. II. v. 18. Dev. oīzisārūc

& olentias, quo frequentius Stoici utuntur, conf. & Laërtium l. VII, S. 85.

8. In §. VII. Animadvertenda pluscula videntur. Principio quod in bestiis quoque, naturali vi, prædæ studium temperatum docet, ita ut benignitatis & beneficentia quoddam simulachrum in his apparat, id ejusmodi est, ut rapacissima quæque animalia, quantum feritate reliquis excellunt, tanto etiam majori cura infirmani adhuc sobolem tueantur, eique pastum sollicite anquirit, adferant, disperiant, citiusque vitam sibi, quam teneros fœtus eripi patientur. Ex quo non solum id conficitur, falsum esse quod Carneades assumerat, omnes animantes ad utilitates duntaxat suas ferri, neque ab eo naturæ impetu sua sponte unquam dimoveri; sed & perspicue, bestiarum argumento apparent, eam curam, quam homines suæ quisque vitæ tuendæ causa luscipiunt, minime obstat, quo minus alienis quoque commodis consulant, neque proinde privatæ utilitatis studium, nisi extra naturæ modum feratur, justitiam, quæ rapinas prohibet, & communibus uti quemque pro communibus, privatis, quoad vitæ usus postulat, ut suis præcipit, tollere.

9. Cæterum quanquam juri quidem atque officiis apud mutas animantes nullus sit locus, ceu quæ intelligentia ac ratione, quæ juris instrumentum ac norma est, destitutæ sunt, non omnino tamen supervacua mihi ista de Legibus naturæ in bestiis, sive de Ethica àληθινη disquisitio videtur. Si quidem Deus in horum vita et, si ita appellare licet, moribus non solum nos sapientia ac potentia suæ expressa vestigia legere voluit, sed et, ut philosophi appellant, cuiusmodi modo vidimus, simulachra quædam virtutum oculos posuit. Quo turpius sibi homines esse sentiant, si quæ pœnare bestias vident, ipsi pœnare se posse desperent, ut e. g. eo, quod ad ipsorum necessariam copiam sufficiat, contenti, haud ægre cæteris communium naturæ bonorum fructum relinquant, ut curam liberorum suorum educationemque suscipiant, ut unius uxoris consuetudine sint contenti &c. In quibus tamen bestiarum moribus falso prorsus ac fœde Cynici, & Stoici nonnulli pene Cynici, communem Naturæ legem atque honestati & justi normam perspicere sibi videbantur, ita ut sæpe auctoribus bestiis vivendi consilium caperent, quodque Gallos e. g. gallinaceos facere videbant, idem sibi quoque velut ex naturæ præscripto facendum

dum existimarent. Quia scilicet unam eandemque totius mundi legem universis animantibus eadem omnia præcipere, nullo generis discrimine, putabant. De qua opinione ac de cognatis huic placitis Stoïcorum prolixius differere harum pagellarum angustiis prohibeor.

10. Quum vero Grotius hæc virtutum in bestiis simulachra, de quibus plenius, I. I. c. I. §. XI. n. 2. disputat, ab intelligentे extinseco aliquo principio proficiisci statuat, quodcumque demum principium illud sit, quod hunc *instinctum*, ut nescio an apto satis vocabulo vocatunt, efficit, alia quæstio oritur, an hominem facultas rationis omnino eximat ab hujusmodi effectu instinctus naturalis videtur enim vero Grotius infantes eidem subjectos putasse. In quo nos certe non habet assentientes. Neque enim in horum ingeniis ad judicii maturitatem quicquam desiderari putamus, præter copiam idearum, quam rerum contemplatio atque experientia robustioribus suppeditat. In quibus judicandi & agendi libertas, unicum actionum moralium principium, in dubium vocari nullo modo potest. Ac demonstrat id quidem, quem paulo supra nominavi, Nemesius, quod haud scio equidem an ineptum videbitur, argumento ejusmodi, quod solis mulieribus scilicet à *avertētōis in rī curvīa, rī uslāthō rūmālīs* à Creatore fuerit concessum, quum reliquis animantibus tempus & modum ejus rei natura definiverit.

11. Licet apud Plutarchum quod hic Grotius de benignitate infantium commemorat, mihi quidem invenire non licuerit, satis tamen evidens est illa hujus ætatis in communicandis rebus facilitas. Ubi scilicet parvolorum ingeniis nondum avaritiae semina prava insevit institutio. Id quod proinde non instinctu naturali ad benefacendum fit, sed ignoratione vitii, & animi innocentia. Falso enim Hobbius, cui nolle Puffendorffius sæpe nimis auscultaret, ejusmodi ingenium homini affinxit, quo ab rapacissimis belluis nihil difserret. In quo mihi similiter errare videtur, atque ii, qui *totum hominem à natura morbum esse* dicunt. Sicut enim ex eo, quod à natitatis tempore corpushumanum omnibus morbis pater, sæpeque medicinæ præsidio indiget, non sequitur à natura morbosum esse, sed offendit tantum ac valetudinibus obnoxium, ita quidem ut validorum, quam ægrorum numerus raris temporibus minor sit, Sic etiam lex, quum corruptæ disciplinæ remedium sit, non tamen totius naturæ

corruptionem indicat, sed errores atque lapsus mortalium cerebros, de quibus verissimum illud Terentii in Heaut. *Deteriores omnes suæ licentia.* Cujus licentia incommodo legalis disciplina, ut morbis medicina mederi conatur. Quunque propter malos equidem, non propter bonos leges sunt posita, ex eo tamen, quia omnibus posita sunt, nequaquam confequitur omnes esse malos, sed omnes malos fieri posse, sicut in pestilentia omnes agrotant. Quod nisi enim omnibus temporibus aliquot boni atque adeo multi existent, pluresque inter bonos & malos vitiorum, virtutumque mixtura medii, unde legis non scriptæ notionem homines petiissent? aut quæ tandem Pallas hoc tale ac tantum disciplinæ bonum in ipsorum depravatissimæ naturæ mentes misisset? Si bona indolis nulla unquam semina superfuerunt in terris, unde Confucius ille Sinensis, aut Socrates Atheniensis justi & honesti notionem petiere, ut tam præclaræ tam multa de moribus præciperen? Rectam rationem diceret ille fortassis has istis notiones subjecisse. At quæ nam Hobbo recta ratio est? Quæ nihil imperat scilicet nisi quod pacis vel sui conservandi causa fiat, eorumque, quæ huic unicorrationi dictaminis non repugnant nihil omnino vetat. At hoc illi, si existerent, magnopere negarent, qui longe aliter ac Hobbius, ut de Socrate quidem infra demonstrabimus, de Naturæ lege judicarunt. Ac quemadmodum ille quidem ex hoc uno utilitatis principio plusculas virtutes deduxerit in libro de Cive legimus, & in his *misericordiam* quoque, quæ se facilem præbet ad ignoscendum, (*clementia* aut *indulgentia* aut *placabilitas* potius appellanda fuit) At si queras, projiceret ne mater partum, quem sibi oneri futurum certit? Id, quemadmodum ex præclaro illo principio expediret, non equidem adsequi possum. Quamvis igitur natura hominis post prim. par. lapsum ad vitium proclivis sit, fatendum tamen est, retinuisse tantum ex pristina integritate, ut & errata sua reprehendere ac corrigeri possit, & quid voluntati auctoris sui respondeat cognoscere atque undecumque cognitum sequi. Quod bonum utique rationis facultas hominibus præstat, Dux atque Imperatrix vitae mortalium, cui non magis, quam datori Deo refragari fas est. Is enim hanc regulæ loco actionibus nostris esse voluit. Atque hic est ille *genius*, quem unicuique nostrum, tanquam imbecillo rectorem adpositum esse Stoicis placebat, ex cuius concensu scilicet omnibus

*omnia ad voluntatem summi Imperantis faceremus.* Diog. Laërt. I.  
VII. S. 88.

13. Quod ad Misericordie affectum attinet, dubitandum non est, quin is naturae humanae proprius sit, quandoquidem ab ratione proficiscitur. Quare nec in pueris ante hujus facultatis usum apparet. Oritur enim ex cognitione alterius miseriae immerito laborantis, uti fere Cic. Tusc. Q. IV. ex Stoïcorum sententia ap. Laërt. I. VII. S. III. definit. φύσει γάρ τὸ αἰνθάπτον ἐλεῖτον ἐν ταῖς τῶν ὁμοφύλων συμφοραῖς, inquit M. Antoninus Imp. apud Herod. I. IV. 3. Nec inscite Lactantius I. III. Inst. c. XXIII. §. 9. *Pene omnem humanæ vitæ rationem misericordia dixit contineri. Cum enim natura inquit, hominis imbecillior sit, quam ceterorum animalium, qua vel ad perferendam vim temporum, vel ad incursiones à suis corporibus arcendas, naturalibus munimentis providentia cælestis armavit; homini autem quia nihil istorum datum est, accepit pro ipsis omnibus miserationis affectum, qui plane vocatur humanitas, qua nosmet invicem tueremur.* Cui loco geminum auctoris ejusdem jungere licebit, quem Grotius noster infra I. I. c. V. §. 1, n. 2. adduxit. Fatendum tamen est, hunc quoque affectum, sicuti cæteros, haud raro, quum in materia aut modo aberravit, vitio non carere. Sed Affectum naturam explicare hoc loco alienum esse puto, ubi tantum de hominis facultatibus agitur, ex quibus intelligere liceat, quam ipsi apte conveniat custodia societatis, in qua majorem partem Juris Naturalis observatio continetur.

14. Animadvertere tantum, ὃς ἐν παρόδῳ, liceat, quod olim perspectum mihi fuit, quodque postea ab acutissimo Philosopho fere in eundem modum adstructum cognovi, omnes affectus ex gemino sensu, si geminas ideas appellare malis non repugno) *voluptatis* nempe ac *molestiae*, quarum illa mentis tranquillæ, hæc inquietæ status est, proficisci, & in omnibus vel conversionem animi vel aversionem inesse, quatenus scilicet in altero statu versari assidue animus, ab altero quam longissime sejungi vellet. Inter se vero non nisi materiæ sive rei objectæ varietate, & modo, sive quantitatis ratione differre. Sed quum valde fere complicati atque compositi sint, raroque singuli in animo insideant, hinc omnem in explicanda horum ratione natam esse difficultatem.

15. §. X. In Descriptione juris, quod in elargiendis quæ cuicue homini aut cœtui propria, i. e. ex merito debita sunt, consistit, quodque sub *justitia attributricis* nomine l. I. c. I. §. VIII. & *affirmatrix* l. II. c. XVII. §. II. n. 2. c. XX. §. II. plenius exponit, postrema verba in vitio cubare sane pridem animadverteram. Nam ubi editum est: *qua jam sunt alterius alteri permittantur, aut impleantur, animadverso hiatu sententiaz, non dubitabam, qm̄ scripsisset ē mārū aut omīssa impleantur.* Nam vocem penultimam vel in auctoris calamo hæsisse imprudenti, vel certe hypothetæ diligentiam effugisse suspicabar. Idque liquido appetere putabam, cum ex superiori §. VIII. ubi idem jus, *quod proprie tali nomine appelletur*. sive stricte ac proprie dictum §. XLI. quod & mox §. XII. *Sociale* appellat, quod hoc §. alteri, quod in dispensando versatur, opponit, describens inter præcipua capita ejus *promissorum implendorum obligationem* commemorat; tum ex iis, quæ infra §. XV. de civili jure ex eadem obligatione nato, & l. I. c. I. §. V. VIII. n. 1. ubi *justiciam expleticem*, quæ ad jus strictum refertur, describit. Putabam enim Grotium, quod paulo supra singula enumeraverat, hoc loco satis habuisse duo præcipua juris stricti capita e. g. commemorare, ut sèpe alias facere consuevit. Sed posteaquam vidi Cel. Grotii ac Puffendorffii Interpreti hunc mutilum locum paulo aliter exsplendum videri, lubens equidem ipsius emendationem amplector. Cui & de pluribus aliis locis Grotianis feliciter restitutis, pro eo ac parest, ingentes gratias agimus.

16. Quod vero ad Aristotelicam justitiaz divisionem attinet, haud scio an jure idem Cel. Vir Cel. Gronovium reprehenderit. Apparet enim ex iis locis, quæ supra indicavimus, utique Grotium justitiaz partem *dioḡtiz̄n̄* hanc juris stricti expleticem appellare. Ab Aristotele vero nihilominus recedit, utqui inverso ordine §. VIII. Jus illud describit, ad quod Philosophi justitiaz particularis altera pars, *dioḡtiz̄n̄* pertinet; §. IX. vero jus illud, quod *laxius* appellat l. I. c. I. §. IX. n. 1. ad quod commode Philosophi Justitia universalis, sive Legalis referri potest; quæ universas virtutes, quatenus civitatis commoda spectant, comprehendit. Denique §. X. huic tanquam partem alteram adjungit jus, sub quo altera pars justitiaz Phil. particularis, nempe *diarijntiz̄n̄*, comprehenditur, Aristotelicam divi-

divisionem recepit & Puffendorff. de off. H. & C. I. I. C. II. §. 14. Ubi aliam Cel. Interpres ejus opusculi proponit. Mihi tota res superflua videtur. Satis sit, justitiæ nomine omnia officia complecti quidem licere erga Deum, nosmetiplos & homines alios. Proprietamen foras spectat, & officia vitæ socialis persequitur. In quibus satis commoda videtur Grotiana juris divisio.

17. §. XI. Putat Grotius triplicis hujus juris præcepta locum aliquem habitura apud mortales, etiamsi persuasio de providentia divina e medio poneretur. In quo mihi duo potissimum spectasse videatur, alterum Juris cum humana natura, quæ sua sponte eo fertur, convenientiam, quam cum haec tenus demonstravit, tum mox §. XVI. & XVIII. adstruit; quæque ex ea conficitur summam pulchritudinem justitiæ, quæ homines in admirationem sui rapiat, quemadmodum est apud Cic. l. I. de off. C. 5. *Formam quidem ipsam, & tanquam faciem honesti vider, quæ si oculis terneretur, mirabiles amores, ut ait Plato, excitaret sapientiæ.* Omnino enim hunc locum ante oculos habuisse videtur, quum hæc scriberet: Alterum juris sumnum usum ac præstantiam, sine quo nulla neque salus neque suavitas in omni vitæ communitate esse potest. Unde & Epicurus, tametsi Deos res humanas negaret respicere, tamen justitiæ istuc in augias dñeas elo-gium reliquit: *Neque vitæ suavitatem sine prudentia, honestate ac justitia esse, neque prudentiam, honestatem, justitiam sine vitæ suavitate, ita ut cui sapienter & honeste ac juste vivendi copia non sit, ei nec suaviter vivere licere.* Et ipse Aristoteles in Ethicis sublata mentione provi-dentia numinis, satis habuit finem ultimum justitiæ & omnium actio-num humanarum vitam beatam proponere. Sed præclare docuit öndru Pussendorffius ab lege naturali obligandi vim semper abesse, quamdiu auctorem ejus Deum homines non agnoscerent. De off. H. & C. I. II. 6. & III. 10. IV. 9. de J. N. & G. II. III. 19. Sequ. Ubi tamen Grotium immerito reprehendere videtur, siquidem hic propter eas, quas proposui rationes justitiæ bono etiam sublata provi-dentia, locum esse statuit, sed naturæ legem ab auctore ejus nuf-quam abstrahendam esse dixit. Quin & contrarium, ut vel ex §. sequ. elucet, pulcherrime adstruxit. Sed neque illud eidem Cel. Viro concedere queo, metum hunc supremi Legis latoris locum in omnes casus habere, ubi non & vel judicii divini post exitum ex hac vita

vita ratio habebitur, vel certe alterius etiam post mortem inchoandæ vitæ. Cujusmodi etiam veterum plerorumque opinio fuit, quorum de lege Nat. sententias paulo infra proponam. Cæterum Grotius sententiam, quam etiam l. I. c. I. §. X. n. 2. respicit, fateor ex veterum Stoïcorum paradoxis petitam videri & obscuritate aliqua laborare, nisi plane hoc modo, quem diximus, explicanda est.

18. Quod vero ad utilitatem attinet, cuius in tantis cupiditatum humanarum illecebris, tantaque in discernendis bonis & malis judiciorum inconstantia alioqui lubrica ratio est, ea quidem per se actionum humanarum regula nullo modo statui potest. Non quin plerique omnia præcepta rationis etiam ad temporalem salutem hominum, vitamque beatam pertineant; Sed quod sola voluntas Dei, rectæ rationis dictatis vim obligandi ac præcipiendi tribuit: Quæ quia nihil à bonitate & φιλαρχωσίᾳ ejus omnino differt, hinc homines utique Deus non nisi ad utilia ac universis & singulis salutaris voluit ac potuit adstringere. Vid. Puffend. de l. N. & G. l. II. C. III. §. 21. quaque & ad usum hominum omnia creavit, uti jam Stoïci agnoverunt ap. Cic. de offic. l. I. c. 7. Itaque si in Evangelica doctrina etiam vitæ justitiam facere homines, quando res postularet jussit, magnificis promissis & præmiis alterius vitæ propolis, ne quid durum & instituto naturæ omnino contrarium imperasse videretur efficit. Homines enim vero nonnisi spe alterius vitæ proposita ad mortem contemnendam adduci posse etiam barbaros Druidas perspexisse videmus apud Cæs. de B. G. l. VI. c. XIV. §. 5. Alioqui, quæ duo summa in tertis bona sunt; animorum & vitæ communis tranquillitas, quam pacem appellamus, observationem Legis naturalis perpetuo comitantur.

19. Ex his vero, quæ hactenus disputavimus, intelligere præceptum est id, quod Grotius hoc §. & subiecto docet, primam & antiquissimam Juris Naturalis legem esse, quæ Creatoris nostri voluntati, quacumque demum via hæc nobis innotuerit, pleno jure nos subjicit. Hæc sunt illa: εὐεγέρτησθαι, ut est præclare apud Sophoclem in Electra y. 1098. Quam in sententiam ex Vett. Scriptis afferre quam plurima possem, si contra eos disputarem, qui piezatatem erga Numen & sapientiæ studio separarunt. Aristotelem vero est sane quod miremur, istud officium in Ethicis suis omnino silentio transisse, quod præclare adeo Plato præceptor ejus, Socratis haud dubie

dubie dictata secutus , adstruxerat . Qui vel ipso quoque teste apud Laërtium Diogenem l. III. v. 83. Triplicem *justitiam* commemorat , primam erga Deos , alteram erga homines , ac tertiam erga defunctorum manes . Quam partitionem hoc loco prolixius illustrare nihil attinet . Quibus autem hominibus naturali lumine existentia Dei & hoc omnium maximum τὸν διορθεῖας præceptum haud innotuit , iis sane miror si quæ alia honesti & justi præcepta innotuerunt , præter ea , quæ summa vitandi interitus ex discordia necessitas iis forte suggerebat .

20. Quare nil verius , quam quod Grotius §. XII. assertit , Deo auctori vindicandas esse leges naturales . Id quod & toto opere paſſim inculcat . Vid. l. I. C. I. §. X. n. 1. §. XV. n. 1. &c. Εἰς γέγεντον ὁ νομοθέτης ὁ συνάντησεν σώσας καὶ ἀπολέσας Jac. IV. v. 12. Unde & alter Apostolus naturalem notitiam ejus quod justum est , quam exteræ nationis habuerunt , ἡ δικαιαία τὸν Θεόν appellavit . Rom. I. v. 32. Nec ab judicio Dei subtrahit τὸν ἀνόμως ἴμαρτυράτας . Id quod cum justitia Dei pugnaret , nisi lex naturæ vel rationis divinæ voluntatis interpres eset , ut qui rei esse non possent . Rom. IV. v. 15. Lex autem Naturalis sine vindice profecto mortua atque adeo nulla est . Quod quum probe perspicerent , non solum Chrysippo & Stoicis placuit , apud Cic. de N. D. l. I. c. 15. jus ab Dei voluntate proficiendi ita ut hinc obligandī vim legis Naturalis arcesserent , sed omnibus , quod sciam philosophis , qui Numen esse docuerunt , haud aliter visum est . Ne plura testimonia accumulem , neve à Pythagoræ schola , cuius eadem sententia fuit , ordiar , præclara est ea de re Socratis cum Hippia disputatio apud Xenophontem Memor . l. IV. & apud Stob. Serm. IX. de *Justitia* . Plato vero ipsam *justitiam divinam legem* , naturæ scilicet , esse statuit , teste Diogene Laërtio l. III. S. 79. quod ex Dialogis ipsius confirmare supersedeo . Quod nec Aristoteles quidem , quamvis alioqui de divina natura incongruenter valde opinaretur , negare omnino sustinuit . Nam ubi de juris civilis varietate atque inconstantia disputat , negat eodem modo apud Deos vacillantia jura esse , atque ex eo infert , quoddam jus naturale , atque immutabile esse . Nicom. l. V. c. X. Ubi & Græcum Paraphraten , quem Dan. Heinsius edidit , inspicere haud pigeat . Omnes porro ii , qui simpliciter legitima à natura esse & auctorunt , ut Stoici apud Laert. l. VII. S. 53. & S. 128. quique pariter

ter ad *κοινὰς ἀνοίας*, non illas quidem satis firmo pede, ut deinceps dicemus, nixas, confugerunt, in quibus imprimitis Cicero, cuius quia plurima loca sunt, & vulgo notissima, de industria verba non adponimus: Omnes hi, inquam, pariter in eo quod justum est *τὸν θεόν* atque proinde obligandi vim legis Naturæ agnoverunt. Si quidem & Naturam ipsam ejusdem divinæ sapientiæ vi ac legibus constanter regi & gubernari, quæ nobis justi notionem insevisset, statuerunt. Hancque legem rectæ rationis in animis suis inscriptam divinam crediderunt, semperque veriti sunt violare, ne scilicet naturæ ipsis, ut loquebantur, atque auctori ejus numini repugnarent. Contra vero ii, qui vel Numina omnino sustulerunt, vel ab rerum humanarum cura segregarunt, vel omnem incertam de diis opinionem esse prædicarunt, ut Archelaus Physicus apud Laëctium l. II. S. 16. Cyrenaici S. 93. & Theodorus cognomento Atheus S. 99. Epicurus l. X. S. 150, 151. cum quibus ejusdem farinæ hominem Bionem Borysthenitem componimus, cuius hoc est apud eundem scriptorem l. IV. S. 48. *τὴν δέξαριθμην πατρίζα εἶναι, ματrem morum opinionem esse;* Sic enim ibi, rejectis alienissimis Doctorum virorum conjecturis, legendum esse suo loco confirmabimus. Et, qui his nimis patulas aures præbuerunt, Academici & Sceptici, ut cum ex Carneadis disputatione ab Grotio supra §. V. allata, tum ex Laërtii Pyrrhone l. IX. S. 61. & 83. apparet; omnes hi, inquam, mitifico ac pulcherrimo consensu, ex suis quidem apposite placitis, omnibus Hobbiis & Machiavellis clarissimam, si diis placet, facem præferentes, id quod justum est, *οὐ τὸν θεόν*, i. e. opinione & voluntate hominum dumtaxat inventum statuerunt. Quod probe scilicet perspicerent, sublato vindice ejus auctoreque nomine, Naturali legi locum nullum esse.

21. Non est igitur Lex Naturalis à voluntate Dei, *τὸν θεόν* separanda, neque temere atheorum perditæ causæ patrocinandum. Is enim, qui hominem finxit, solus ipsum certis legibus adstringere jure suo potuit. Ex quibus legibus, quæ rectæ rationis præceptis continentur, omnia reliqua iura manarunt. Quæ si cum his non consentiant, eo ipso injusta ac nulla sunt. Cæterum non equidem Thomam Hobbium, ejusque studiosos ea re *τὴν αὐτοτάτον* insimulare velim, quam à se modis omnibus removere conatur. Alias ille rationes

rationes securus , quam veterum illa phalanx , quam modo produxi-  
ximus , videtur , sed horum tamen erroris patrocinitus suscepit , cum  
hominibus persuadere conatus est rationis dictamine nihil aliud , quam  
utilitatis rationem contineti , cui est quidem in principiis juris natura-  
lis aliquis locus , ut supra vidimus , sed sola fundamentum hujus ju-  
ris non constituit . Verum voluntas divina , quæ principio quidem  
gloriam Dei spectat , deinde conservationem nostri , quam Deus no-  
bis præcipue commendavit , postremo commoda societatis . Triplex  
igitur Juris Naturalis fons est : 1. Religio naturalis . 2. amor vitæ &  
eorum quæ nobis hanc dulcem & longam efficiunt conservandorum  
studium . 3. Sociabilitas sive communis conservatio , quæ ipsa quo-  
que ad vitæ dulcedinem plurimum confert .

22. Summi ingenii , idemque summi Candoris Philosophus Joh. Lockius I. II. de Intell. C. XXVIII. §. 7. *Triplex legem* proposuit , ad quam homines actiones suas exigent , *Legem* scilicet *divinam* , *Civilem* atque *Opinionis* . Quarum prima legem rursus duplaci *natu-  
rale* alteram , alteram *revelatione traditam* comprehendenderet . At-  
que hanc aut peccata ab officiis distinguere , alteram *crimen* atque *inno-  
centiam* demonstrare , tertiam a Philosophis propositam *virtutis* &  
*viti* , discrimen aperire . Melius tamen , opinor , *Legem esse dupli-  
cem* dicemus , *divinam* alteram , alteram *humana* . Quæ utraque  
rursus duplex est *scripta* & *non scripta* . *Scripta lex divina* Veteris ac  
Novi Test. moralia præcepta comprehendit . *Lex divina non scripta*  
*lex rationis* est , sive *naturalis* . *Lex humana scripta* vel positiva quid  
sit nemo ignorat , *non scripta* vero hæc est , quæ *opinione* nititur ac  
more civili . Divina utraque lex pariter innocentiam ac culpam ape-  
tit coram Deo . Humana *scripta* lex veniam , pœnas & præmia tri-  
buit actionibus hominum , qui sunt in civitate . Non *scripta* turpe  
factum ab honesto discernit , neque aliter quenquam obligat , nisi  
quatenus laudibus homines & vituperationibus moventur . Hanc  
non magis quam legem positivam civilem universalem existimare li-  
cet , propter morum atque *opinionum* in civitatibus maximam varie-  
tatem . Utraque humana lex etiam pro temporibus mutationi obno-  
xia est , cum lex divina utraque ubique & semper eadem ac sibi con-  
stans sit . Major tamen in lege civili positiva , quam in lege *opini-  
onis* constantia est , quia Legi naturali immutabili præsumuntur consona-  
quæm

quum opinionum infinita licentia sit, ita ut quod alio loco turpe est, alio laudi ducatur. Porro etiam pro numero legum, quatuor actionum nostrarum judices habemus, quos vereamur, Deum & animum nostrum, judicem in civitate constitutum & ipsos cives. Duo priores pariter de interioribus atque exterioribus actibus nostris judicant, duo posteriores non nisi externos & evidentes actus dijudicant. Ex quibus tamen omnibus unus est, qui falli & errare nequit Deus. Sed scire licet, hunc animo hominis semper quasi teste uti, ut ipso argente potissimum culpæ damnetur; & erranti quidem animo placabilem esse, implacabilem malitiae.

23. Cavendum autem in primis est, ne eam legem, quam cum Lockio opinionis esse diximus cum lege rationis, quæ naturalis justitia norma est, confundamus. In quod saxum illi, quos diximus, philosophi impegerunt, quum ea, quæ incerta ac fluctuante opinione hominum nituntur judicia, ab his, quæ firma & constanti ratione nixa sunt, non discernerent, atque ita ex legibus divinæ voluntatis vinculum sustulerunt. Sed quum præclaris viris, per quos morum disciplina maxime nobis in Græcia olim increvit, aliter visum esse diceimus, quippe qui divinæ voluntatis vinculum in Juris Nat. præceptis agnoverunt, una in hoc difficultas reliqua est, ut cur ipsis ita visum sit expediamus, & quo modo, quaue via potissimum divinum illud jus non scriptum ad horum notitiam pervenerit, aperiamus. Sed cum hæc quæstio sesquialteram paginam implere possit, jamque mihi vela necessario contrahenda sint, hic abrumpere cogor.

## AD NEXUM.

Istuc præcipue miserandum est, quod dum studiosæ juventuti Morales Quæstiones, tanquam materiam disputationis, proponimus, sic assuefacimus ipsam, ut etiam in reliqua vita magis sibi quærendum existimet, quid in hac disciplina communiter statuere liceat, quam quid singulis necessario observandum sit.

Dies Lect. 6. Novembr, h. 10. Mat.